Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 975
Quelle:
Copyright:

CCLXXI. VII. F. 12

433 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 104. 4. sed principio et fine mutilus, nitide perscriptus, rubricis distinctus, et, ut *Fol.* 65. notatur, olim *conuentus Wienn. ordinis fratrum predicatorum in Austria*, sequentibus constat: I. *Isidori Hispal. Libris II.* qui *Synonyma*, aut *Soliloquia* inscribuntur, extantque in edit. *Jac. Du Breul, Paris.* 1601. a p. 305. Nobis principio mulctati incipiunt ab iis verbis: *Peccatorum meorum minus* (minor) *uicissitudo rependitur! plagis meis culpa durior inuenitur* &c. quae in Edit. occurrunt p. 311. *col.* 1. Finis: *Tu mihi supra uitam meam places.* Ita et Edita; sed addit Noster: *Deo gratias semper domino meo ihesu christo gratias in omnia secula seculorum. Amen.* Praeterea non pauca sunt, quae collationem suadeant. Sic mox sub principium Edita: *ad moestitiam adpellit*, Noster: *impellit.* Edit. *diem amarum.* Nost. addit: *diem durum.* Edit. *priusquam gehennae ignibus devorer.* Nost. praemittit: *prius quam ad tormenta properem.* Edit. *immanitate sceleris trepidante conscientia metuo.* Nost. *immanitate sceleris examen tuum trepidus conscientia metuo* &c.

II. *fol.* 17. sequitur minio: *Exhortatio penitentis cum consolatione et* (de) *misericordia dei ad animam futura iudicia formidantem.* Initium: *Cur fluctuas anima. merorum quassata procellis* &c. Exhortationem hanc excipit *lamentum penitentie duplici alfabeto editum. exceptis tribus litteris. A. B. et N. in quibus aliquantis uersibus multiplicatur* &c. hujus initii:

Audi christe (tristem) *fletum*
Amarumque canticum &c.

Conjungendum esse *Lamentum* cum *Exhortatione* liquet ex hujus verbis sub finem: *Sequentia uero carmina constructa lamentis suspirando lectita* &c. Ita et sequens Opusculum cum *Lamento* conjungendum censeo. Inscribitur illud: *Oratio cuius supra pro correptione uite et propter flenda semper peccata*, et infit: *Deus omnium mirabilium auctor misericordiarum pater* &c. Haec Tria quoque ad *Isidorum* pertinent et se in Edit. *cit.* a p. 334. excipiunt.

III. *fol.* 36. p. 2. *Incipit Liber Sancti Augustini Ad Petrum Diaconum de Fide.* Initium: *Epistolam fili petre tue caritatis accepi* &c. Jam restitutus autori suo *Fulgentio Rusp.* in *Codd.* CCXLI. et aliis. Hic nonnisi usque ad C. III. *de Creaturis* porrigitur, et definit: *quantum breuitas temporis. et sermonis inopia permisit, inserui.* Editio *Mauriana* T. VI. Opp. *Augustini. Append.* perperam omisit τo *inopia.*

IV.